



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. III. De divisione gratiæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

cepta, juxta illud Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Ergo &c.

Denique, ut dicitur D. Thomas hic art. 4. in argum. sed contra, *Per gratiam regeneramur in filios Dei: Sed generatio per prius terminatur ad essentiam, quam ad potentias: Ergo gratia per prius est in essentia animae, quam in potentijs.*

Confirmatur: Si Deus ab homine auferret omnes animae potentias, ille adhuc esset capax gratiae sanctificantis; nam et si nasceretur sine potentijs, haberet peccatum originale, quod afficit immediate ipsam substantiam animae, ut in Tractatu de peccatis ostendimus: Ergo posset baptizari, subindeque gratiam sanctificantem, per quam a tali peccato mundaretur, recipere.

Disp. 7.
art. 6.

182. Obijciens primo: Contraria debent habere idem subiectum, a quo se expellant: Sed subiectum peccati, quod contrariatur gratiae, non est essentia animae, sed ejus potentia: Ergo gratia non residet in essentia animae, sed in ejus potentijs.

Respondeo negando Minorem: licet enim peccati actus sit subiectum sit potentia, subiectum tamen peccati habitualis & maculae, cui gratia opponitur, est essentia animae. Itaque peccatum dupliciter potest considerari, primo ratione offensae, & quantum ad actuales deordinationem; & sub hac ratione non opponitur directe gratiae, sed charitati, vel justitiae, subindeque in voluntate residet: secundo in ratione maculae, & quantum ad habituales deordinationem, quam in anima causat; & sic directe opponitur gratiae habituali, & in ejus privatione, ut actum praeteritum, a quo causata fuit, connotante, consistit; quare immediate residet in essentia animae, ut in Tractatu de peccatis docuimus.

Disp. 8.
art. 3.

183. Obijciens secundo: Gratia & gloria sunt in eodem subiecto: Sed gloria non est in essentia animae, sed in ejus potentijs; cum nihil aliud sit, quam beatitudo, quae in actu intellectus, clara scilicet Dei visione, formaliter consistit: Ergo pariter gratia non est in essentia animae, sed in ejus potentijs residet.

Respondeo distinguendo Majorem: Gratia residet in eodem subiecto, quo gloria, sumpta in actu primo, & pro dono supernaturali habente perfectionem beatitudinis, concedo Majorem: sumpta in actu secundo, & pro actu formalis beatitudinis, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Gloria non est in essentia animae, ut est actus secundus, & ipsa beatitudo formalis, concedo Minorem: ut est actus primus, & donum supernaturale habens perfectionem beatitudinis, nego Minorem: nam sub hac ratione est ipsa gratia consummata ut causans lumen gloriae, eique indissolubiler connexa. Ita Cajetanus & Conradus hic art. 4. & Capreolus in 2. dist. 26. quaest. 1. ad 1. Scoti contra 2.

DISPUTATIO III.

De divisione gratiae.

Ad questionem III. D. Thomae.

Considerata existentia & essentia gratiae, consequens est, ut varias ejus species contemplerur, innumeraque gratiae dona, quibus nos Deus afficit, ac praevenit in benedi-

ctionibus dulcedinis, & quae ab ipso veluti radij à Sole promanant, breviter hic declaremus & exponamus.

ARTICULUS PRIMUS

Vtrum gratia creata interna convenienter dividatur in gratiam gratum facientem, & gratiam datam: & an praeter gratias gratas datas, ab Apostolo recensitas, aliae assignari possint?

§. I.

Quibusdam praemissis, utraque difficultas resolvitur.

Suppono primo: divisionem gratiae in gratiam gratum facientem, & gratiam datam, non esse primariam, sed secundariam, & subdivisionem alterius divisionis, quae gratia primo dividitur in gratiam incretam & aeternam, cujusmodi est amor quo Deus nos ab aeterno dilexit in ordine ad finem supernaturalem, & in gratiam creatam & temporalem, quae comprehendit ea dona, quae nobis à Deo in ordine ad eundem finem in tempore conceduntur. Hanc gratiae divisionem insinuat S. Thomas hic qu. 110. art. 1. in calce corp. art. ubi sic ait: *Per hoc quod dicitur homo gratiam Dei habere, significatur quiddam supernaturale in homine à Deo proveniens. Quandoque tamen gratia Dei dicitur ipsa aeterna Dei dilectio, secundum quod dicitur etiam gratia praedestinationis, in quantum Deus gratuito, & non ex meritis, aliquos praedestinavit sive elegit: dicitur enim ad Ephes. 1. Praedestinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriae gratiae suae. Quibus verbis declarat, quod quamvis simpliciter, & quasi per antonomasiam, nomine gratiae, significari soleat donum temporale & creatum, tamen nomen & notio gratiae proprietatem convenit enti increato, nimirum actui voluntatis divinae efficientis & praedestinantis aliquos homines ad gloriam gratuitam & independentem à meritis: unde ad Roman. 4. & 11. praedestinatio propositum gratiae, seu electio gratiae nuncupatur, & Sapient. 16. per gratiam quae dicitur omnia nutrire, supernaturalis, & gratuitus Dei amor significatur. Similiter persona Verbi, quatenus communicata humanitati Christi per unionem hypostaticam, gratia substantialis & increata appellatur. Unde Christus, in quantum, homo dicitur substantialiter unctus à Divinitate, juxta illud Nazianzeni orat. 36. *Unctio humanitatis Divinitas est.* Denique Ildorus lib. 7. etymol. cap. 3. ait Spiritum S. quia non nostris meritis, sed voluntate divina gratis datur, gratiam appellari. Idem docet Augustinus serm. 31. de verbis Domini cap. 1. his verbis: *Gratia quippe donum Dei est: donum autem maximum ipse Spiritus sanctus est, & ideo gratia dicitur.**

Adverte tamen, hoc inter actus increatos divinae voluntatis, & personas Divinas discrimen reperiri, quod affectus supernaturales & indebiti divinae voluntatis erga homines, ut praedestinatio & electio, sunt formaliter gratiae ab aeterno, quia ab aeterno sunt formaliter dona, seu beneficia supernaturalia; Divinitas verò & persona Divina non sunt ab aeterno gratiae, sed in tempore, hoc est, licet aeternae sint quoad suam reali-

realitatem, temporales tamen sunt quoad gratiæ denominationem, quia non donantur hominibus nisi mediante aliquo effectu temporali: v. g. Persona Verbi non est humanitati Christi donata in unitatem suppositi, nisi per temporalitatem ejus assumptionem; nec persona Spiritus S. datur omnibus, nisi per temporalem eorum justificationem, seu per charitatis in cordibus nostris diffusionem, juxta illud Apostoli ad Roman. 8. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Suppono secundò, gratiam Dei temporalem & creatam dividi in internam, & externam: interna est ea, quæ interiori nobis unitur, seu quæ in anima hominis, vel in ejus potentijs residet; externa verò illa dicitur, quæ ipsum intrinsece non afficit, sed extrinsece tantum. Unde ad primum genus gratiæ pertinet gratia sanctificans, virtutes morales per se infusæ, dona Spiritus S. & motiones gratiæ auxiliantis in intellectu, aut voluntate receptæ: ad secundum verò reducuntur omnes causæ, media & objecta externa, per quæ mens nostra excitatur ad res divinas cognoscendas vel amandas: qualia sunt prædicatio verbi Dei, exempla Christi & Sanctorum, lectio sacrarum Scripturarum, miracula, occasiones bene operandi supernaturaliter præparatæ, occasiones peccandi supernaturaliter ablatae, ceteris Augustino Soliloq. 13. & 16. & lib. 50. homiliarum, homil. 23. ubi Deum sic loquentem inducit: *Regebam te mihi, servabam te mihi: ut adulterium non committeres, suavis desinuit, ut suavis deesset, ego feci; locus & tempus desinuit, ut hac deesset, ego feci; agnosce ergo gratiam &c.* Denique omnis exterior effectus divinæ providentiæ supernaturalis ordinatus ad salutem hominum, sive promovens bonum, sive removens malum, gratia Dei externa appellari potest. Utramque gratiam eleganter describit D. Prosper lib. 2. de vocat. gentium cap. 26. his verbis: *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, ilando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.*

Dico primo gratiam creatam internam convenienter dividi in gratiam gratum facientem, & gratis datam. Ita D. Thomas hic art. 1. & alij Theologi communiter.

4. Probatur primò: Ex Scripturis constat dari quandam gratiam, quæ nos gratos facit & justos: & aliam, quæ non facit nos gratos, & nihilominus appellatur gratia. De priori dicitur ad Roman. 5. *Justificati grati per gratiam ipsius;* & ad Ephes. 1. *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* De posteriori verò 1. Petri 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Et 1. ad Corinth. 12. *Divisiones gratiarum sunt: alij per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum; alij fides in eodem spiritu; alij gratia sanctorum; alij operatio virtutum; alij prophetia; alij discretio spirituum; alij genera linguarum; alij interpretatio sermonum.* Quibus verbis enumerantur novem gratiæ gratis datæ: Ergo gratia creata & interna recte dividitur in gratiam gratum facientem, & gratis datam.

5. Probatur secundò ratione D. Thomæ: Gratia ad hoc ordinatur, ut homo redicatur in Deum;

eiq; conjungatur, unde quot modis potest fieri talis conjunctio, tot debent dari genera gratiæ: Atqui unio illa, seu conjunctio duobus tantum modis fieri potest, inimirum formaliter, & efficaciter, seu ministerialiter: Ergo duplex erit gratia, altera, quæ unimur & conjungimur Deo formaliter, & ista est gratia *gratum faciens*, quæ hominem sanctificat & justificat: altera, quæ unus homo efficienter cooperatur alteri ad hoc, ut Deo conjungatur, ac ministerialiter ad ejus conversionem concurrat; & hæc gratia *gratum datus* appellatur, tribuendo nomen generis ignobiliori speciei, ut in alijs rebus sæpe contingit. Unde, ut infra dicemus, hæc duæ species gratiæ in eo præcipue inter se differunt, quòd gratia gratum faciens in bonum ipsius recipientis refertur; gratis data verò in bonum & utilitatem aliorum; quò fit, ut hæc posterior in peccatoribus nonnunquam reperiri possit, cum peccatores, etiam si suam negligent, possint aliorum salutem procurare, & ad eam cooperari ad instar eorum, qui arcam Noë fabricaverunt, & tamen aquis diluvij submersi sunt. Ex quo patet divisionem istam esse adæquatam; cum reddere gratum, vel non reddere gratum subjectum, & conferri ad propriam receptionis utilitatem, vel solum in bonum vel commodum alterius, sint inter se opposita, & se invicem excludant; & cum gratia gratum faciens, quæ astringitur tantum unum membrum, contineat omnes alias à gratijs gratis datis distinctas. Quod ut clare percipiatur, & quibusdam instantijs, quæ fieri possent in contrarium, occurratur.

Diligenter observandum est, gratiam gratum facientem sumi dupliciter: primo ita, ut sit pro ea, quæ justificatur, & quæ redditur formaliter grati Deo; secundo late pro ea, quæ ordinatur ad justificationem sui subjecti: sive antecedenter, ut gratia excitans, & actus fidei, & spes, quibus disponimur ad eam; sive concomitanter, sive consequenter, ut sunt auxilia supernaturalia, augmentum gratiæ, & gloria, quæ est consummatio & perfectio gratiæ; & non hac lata & ampla acceptione hic utitur, dū contra gratiam gratis datam distinguitur: unde licet in recto & principaliter solam gratiam sanctificantem importet, reductivè tamen & consequenter, initiativè, vel completivè, auxilia divinæ gratiæ, habitus virtutum & donorum, veluti justificantis gratiæ dispositiones, aut complementa complectitur, subindeque omnes alias gratias distinctas à gratijs gratis datis. Quod Vazquez non consideravit, dū in brevi annotatione ad articulum primum hujus questionis dixit, hanc divisionem esse quidem bonam, sed non adæquatam gratijs hujus vitæ; eo quòd sub neutro ex ejus membris fides & spes, & auxilia, quibus ad vincendum tentationes, & exercenda opera virtutum juvamus, comprehenduntur: illa enim, ut jam ostendimus, sub gratia gratum faciente, tanquam ejus initia vel dispositiones continentur.

Dico secundò: etiam subdivisionem gratiæ gratis datæ in novem ab Apostolo assignatas esse adæquatam. Est contra Vazquem, Bellarminum, & Suarezem, existimantes dari alias gratias datas præter novem illas, quas recenset Apostolus, ipsiusq; famulosiores tantum retulisse: unde Suarez ait, illis debere addi characterem sacerdotalem, jurisdictionem in foro interno, & specialiter assistentiam Spiritus S. quæ Summo Pontifici.

Pontifici & Concilio legitime congregatis ad A
definiendas res fidei assilic.

Hanc tamen divisionem ut sufficientem & adequatam recipit Rupertus lib. 3. de glorific. Trinitat. ubi novem istas gratias novem ordinibus Angelorum correspondere demonstrat. Eam etiam approbat & defendit S. Thomas 1. ad Corinth. 12. lect. 2. & hic art. 4. egregio & mirabili discursu, qui sic breviter potest proponi. Gratia gratis data dantur ad hoc, ut homo ad alterius salutem & conversionem coope- retur, non quidem interius movendo (hoc enim solius Dei est) sed solum exterius docendo, vel persuadendo. Ad hoc autem tria sunt necessaria, primum, ut homo, qui alium docere debet, habeat plenitudinem cognitionis Divinorum; secundum, ut possit probare & confirmare ea, quae docet; tertium, ut quae docere debet, possit convenienter proferre his, quos instruit. Ad hoc ut quis habeat plenitudinem cognitionis Divinorum, tria requiruntur, primum est cognitio eorum, quae in divina scientia tanquam principia supponuntur; secundum est cognitio principalium conclusionum; tertium est cognitio effectuum divinorum, ex quibus oportet interdum manifestari causas: & ideo tres gratiae gratis datae sunt necessariae ad plenitudinem notitiae de Divinis, scilicet fides, per quam prima principia creduntur; sapientia, per quam cognoscuntur principales conclusiones; & scientia, per quam divini effectus sciuntur. Ad hoc vero ut homo confirmare possit, quae docet de Divinis, requiruntur duo: unum est, ut faciat quae solus Deus facere potest; & haec sunt opera miraculosa, quae duplicia sunt; aut enim sunt ad salutem corporum ordinata, aut ad solam divinae potentiae manifestationem, sicut quod Sol steret, aut tenebrescat, & his similia; & ideo ad hoc ut qui Divina docet, ea confirmare possit, ponuntur duae aliae gratiae gratis datae, quae sunt gratia sanitarum, & operatio virtutum: alterum est, ut possit manifestare ea, quae solius Dei est scire; & haec sunt duo, scilicet futura contingentia, & occulta cordium, & propterea ponuntur duae aliae gratiae gratis datae: ad cognoscenda enim futura contingentia, ponitur prophetia; ad cognoscenda vero occulta cordium, ponitur discretio spirituum. Denique ad hoc ut ille, qui Divina docere debet, possit convenienter illa auditoribus proponere, necessaria est facultas pronunciandi, quae attenditur, vel quantum ad idioma, vel quantum ad sensum eorum, quae sunt proferenda: unde propter hoc ponuntur duae aliae gratiae gratis datae; nam propter primum, ponitur gratia linguarum, & propter secundum, ponitur interpretatio sermonum. Constat ergo novem tantum gratias gratis datas admittendas esse: nam ad plenitudinem scientiaestantur tantum tres, nimirum fides propter principia; sapientia propter principales conclusiones; scientia propter effectus: ad hoc vero ut possit confirmare, quatuor tantum necessariae sunt, scilicet gratia sanitarum, propter corporalem salutem; operatio virtutum, propter divinae potentiae ostensionem; prophetia, propter futura contingentia; discretio spirituum, propter cognitionem secretorum cordis: denique ut possit docenda proponere, requiruntur tantum duae, nempe genera linguarum, propter idioma; & interpretatio sermonum, propter sensum sententiarum.

Confirmatur hic discursus detegendo id, quod 8.
deceperit Suarem & Vazquem. Ideo enim ipsi alias gratias gratis datas, propter novem jam adductas & explicatas admiserunt, quia nescierunt distinguere gratias gratis datas a ministracionibus & operationibus, quas tamen distinguit Apostolus 1. ad Corinth. 12. dicens: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; & divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus.* Quomodo autem haec distinguantur, docet D. Thomas ibidem lect. 1. Nam gratia gratis data solum importat actum manifestativum fidei; ministratio vero, seu ministerium dicitur auctoritatem exercendi aliquem actum in ordine ad alios, ut Apostolatus, praelatio, &c. operatio vero est executio ipsius ministerii. Ex quo patet fundamenta horum Authorum esse frivola & nulla: suppositio enim, quod praedicta Apostoli divisio intelligatur de gratia gratis data, prout distinguitur a ministracionibus & operationibus, nulla potest assignari, quae ad aliquam ex novem explicatis non reducatur: character vero sacerdotalis, iurisdictio in foro interno, & assistentia spiritus S. quae a Suare assignantur, ad ministraciones, non autem ad gratias gratis datas pertinent.

Quaerens, an praedictae gratiae gratis datae sint 9.
in homine per modum habitus, an vero solum per modum motionis transeuntis?

Respondeo aliquas ex illis esse in homine per modum habitus, ut fidem, sapientiam, & scientiam; his enim gratiis ad arbitrium, & quando vult utitur, quod argumento est esse in illo permanentem & per modum habitus: alias vero in eo esse per modum motionis, seu impressionis actualis, quae productio effectui statim desinit, cuiusmodi sunt gratia sanitarum, operatio virtutum, donum prophetiae, & discretio spirituum; his enim gratiis ad arbitrium uti non possumus, sed solum quando a Deo movemur: quae de causa Sancti cum ad miraculum edendum se accingere vellent, solebant preces ad Deum emittere, ut motionem hanc, seu divinam assistentiam impetrent. Legimus enim in Scriptura 4. Regum 3. quod quando Elizeus voluit propheta- re, petijt ut adduceretur ei psaltes, ut per ejus harmoniam & psalmodiam in extasi rapere- tur, & in sua extasi irrueret in eum spiritus Domini, qui rem, de qua erat questio, illi revela- ret: quod argumentum est, ipsum non habuisse donum prophetiae ex habitu, sed tantum per motionem quandam actualem. Similiter in vita D. Bernardi refertur, quod ille nunquam se ad edendum miraculum accingebat, nisi prius saporem quandam suavissimum circa praecordia sentiret, quo Deum sibi praesto esse ad miraculi operationem iudicabat: quod ostendit ipsum non habuisse donum miraculorum per modum habitus, sed per modum motionis & impressio- nis actualis. Unde D. Gregorius homil. 9. super Ezechiel. belle observat, quod Spiritus S. Sapient. 1. stabilis simul ac mobilis appellatur: Quia (inquit) in Sanctorum cordibus juxta quasdam virtutes semper permanet, juxta quasdam vero recessurus venit, & venturus recedit: in fide etenim & spe, atque charitate, & in bonis alijs, sine quibus ad celestem patriam non potest venire, sicut est humilitas, justitia, atque misericordia, perfectorum corda non deserit: in prophetia vero virtute, doctrina, sacundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit. Quibus verbis aperte de- clarat,

clarat, aliquas gratias gratis datas, ut prophetiam, & donum miraculorum non esse in hominibus permanentes, ac per modum habitus, sed bus permanentes, ac per modum coruscationis transeuntis, & motionis seu impressionis actualis.

Adverte tamen, ab hac regula excipiendum esse Christum, in quo huiusmodi gratia fuerunt per modum habitus, idque propter duo: quia scilicet ejus humanitas erat instrumentum, realiter & hypostatice unitum divinitati; ideoque consentaneum fuit, ut quemadmodum illa conjunctio erat permanens, & nunquam dissolvenda, sic etiam gratia gratis data, quæ hanc unionem consequiebatur, esset in eo permanenter & per modum habitus. Deinde quia Christus erat præditus potestate quam vocant excellentiæ, ratione cuius imperio in omnes creaturas potiebatur, & de his ad suum arbitrium disponebat, ideoque ad libitum suæ voluntatis poterat miracula patrare, & Dæmonij, morbis, & mari, ac ventis imperare, ut in Evangelio legitur. De quo filiū in Tractatu de Incarnatione.

§. II.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

Ex dictis intelliges, gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam, in aliquibus convenire, & in alijs differre: conveniunt enim primò in eo quod utraque est donum supernaturale: secundò, quia utraque datur ad spirituales utilitates: tertio, quia utraque est gratia Christi Redemptoris, cum detur in statu naturæ lapsæ ad æternam salutem consequendam.

Differunt autem primò ex fine: nam gratia gratum faciens per se primò refertur ad propriam sanctificationem; gratis data ad alienam: sicut quædam hominis potentia ordinatur ad perfectionem individui, ut facultas nutritiva & augmentativa; aliæ verò ad conservationem speciei, sicut potentia generativa. Dixi per se primò: quia interdum gratia gratum faciens refertur & ordinatur secundario ad utilitatem aliorum; ut patet in gratia Christi, quæ cum sit gratia capitis, secundario ordinatur ad profectum & sanctificationem aliorum hominum; gratia etiam gratis data vergit secundario in utilitatem habentis, cum subiectum in quo est ornet & perficiat, & si benè illa utatur, vitam æternam mereatur.

Secundò differunt in hoc quod gratia gratum faciens propria est iustorum, non quidem quoad singulas sui partes, sed collectivè, & quoad præcipuam sui partem, quæ est gratia formaliter sanctificans, & mortale peccatum ab homine in quo est excludens: gratia verò gratis data, & collectivè, & quoad quamlibet sui partem, etiam perfectissimam, in homine injusto, & mortalis peccati labe inquinato, reperiri potest. Unde donum prophetiæ quod inter omnes gratias gratis datas eminet, infidelibus & paganis concessum fuit: Cayphas enim Joan. 11. propheta-vit expedire ut unus homo pro populo moreretur: & Numer. 22. Balaam, tamen ariolus & idololatra, prophetiæ donum obtinuit: Sybillæ etiam, quamvis ethniciæ, dono prophetiæ claruerunt, earumque vaticinia multum ab antiquis Patribus commendantur.

Tertio differunt, quia gratia gratum faciens est altioris ordinis & perfectionis, quam gratia gratis data, ut docet D. Thomas hic art. 5. nam

Tom. IV.

gratia gratum faciens per se nos conjungit Deo; gratia autem gratis data, solum interventu gratiæ gratum facientis: item prima est participatio divinæ naturæ, ut natura est; secunda verò solum aliquod Dei attributum, puta scientiam, vel potentiam ejus participat. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 12. enumeratis gratijs gratis datis, subdit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, scilicet charitatis, de qua cap. 13. sermonem instituerat, dicens: Charitas nunquam excidit: sive prophetia evacuabuntur, sive lingua cessabunt, sive scientia destruetur. Item Christus Lucæ 10. prohibet Discipulis, de miraculis per ipsos editis gaudere: In hac nolite gaudere, quia spiritus vobis subiicitur &c. Ne putarent (inquit Augustinus) in talibus factis maiora bona esse, quam in operibus iustitiæ, quibus æterna vita comparatur.*

Aliqui addunt quartam differentiam, nempe quod gratia gratum faciens conferatur per modum habitus, seu qualitatis permanentis; gratia verò gratis data, per modum actus, seu motionis transeuntis. Sed hoc non verificatur universaliter, cum gratia gratum faciens (ut supra annotavimus) comprehendat auxiliæ gratiæ excitantis, quæ dantur per modum motionis & impulsus, & cum aliqua gratia gratis data concedantur per modum habitus, ut de fide, sapientia, & scientia supra diximus.

ARTICULUS II.

De divisione gratiæ in operantem & cooperantem.

Deo primò, gratiam rectè dividi in operantem & cooperantem. Conclusio est certà de fide: gratia enim operans colligitur ex illo Pauli ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere;* & ex illo Isaïæ 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine: cooperans verò colligitur ex illo 1. ad Corinth. 15. Non ego, sed gratia Dei mecum;* & ex illo Marci ultimo *Domino cooperante.* Utramque etiam insinuat Concilium Arausicanum can. 9. his verbis: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum ut operemur operatur:* & similiter Augustinus lib. de gratia & lib. arbit. cap. 17. dicens: *Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incipit, quia ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Item D. Gregorius lib. 26. Moral. cap. 11. hæc scribit: *Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quodiam appetimus agat nobiscum.* Similia habet Anselmus in illud Pauli 1. ad Corinth. 15. *Gratia Dei mecum.* Denique D. Augustinus serm. 13. de verbis Domini bellissimè observat, Deum non ædificare templum suum de lapidibus mortuis, quæ nullam habent operationem & motum sed de lapidibus vivis, quæ ita à Deo moventur & applicantur, ut ipsi se moveant, & applicent, ac Deo operanti cooperentur: *Vos (inquit) tanquam lapides vivi coadificamini in templum Dei: ducimini, sed curritis vos; ducimini, sed sequimini; movemini, sed & vos movetis.*

Ratio etiam suffragatur: Deus enim per suam gratiam debet incipere omnia nostra bona opera, quod fit per gratiam operantem; & similiter debet nobiscum eadem operari, quod fit per gratiam cooperantem: Ergo datur utraque gratia

tia ; & sic gratia rectè dividitur in operantem & cooperantem. Consequentia pater : Antecedens verò suadetur, tum ex impotentia & infirmitate voluntatis humanæ circa bonum ; tum etiam ex universalissima Dei causalitate, quam nulla res creata, præsertim si sit ordinè supernaturalis, subterfugere potest. Unde in Concilio Arausicano can. 20. dicitur : *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo : nulla verò bona facit homo ; quæ non præstet Deus ut faciat homo.* Sacrillega ergo hæc est Gentilis Philosophi vox : *Det vires Deus : det opes, animum aquam mihi esse parabo* : sicut & ista Pelagij, in Epistola ad Demetriadem : *Spirituales divitias nihil tibi præter te conferre poterit.* In his ergo jure laudanda es ; in his meritis ceteris præferenda es, quæ nisi ex te & in te esse non possint. Quare Pelagiani & Semipelagiani non immerito aratoribus Egypti comparantur : nam ut ait Seneca, *Nemo aratorum in terra Egypti celum respicit*, quia non à cælo, siderumque influxu, nec ab imbribus, sed à sola Nili inundatione agrorum fecunditatem expectant ; totaque illorum spes è suo flumine, veluti nucine pendula ; solo, non cælo ; cæno, non Deo innititur, juxta illud Poeta :

*Terra suis contenta bonis, non meligamæcis,
Aut Iovis, in solo tota est fiducia Nilo.*

Non dissimiliter etiam Pelagiani, ac Semipelagiani, & quicumque vel naturæ, vel Philosophiæ, vel propriæ industriæ, aut liberi arbitrij viribus, non divinæ munificentiae, nec gratiæ efficacitati, bonum virtutis, & opus salutis tribuunt, dici possunt in cælum oculos nunquam attollere, unde nobis venit auxilium ; sed cœnosæ naturæ adhaerentes, in ea, veluti aratores Egypti, totam fiduciam ponere. Quare de illis dicitur Isaia 30. *Va filij desertores, habentes fiduciam in umbra Egypti, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis : Egyptus homo, & non Deus caro & non spiritus ; & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & ad eum præstatur auxilium, simulque omnes confumentur.*

14. Dico secundo : licet divisio gratiæ in operantem & cooperantem, magis propriè & communiter attribuat gratiæ actuali, adaptari tamen potest habituali. Ita D. Thomas hic art. 2. ubi sic ait : *Gratia dupliciter potest intelligi : uno modo divinum auxilium quo nos movet ad bene volendum & agendum ; alio modo habituale donum nobis divinitus inditum : utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem & cooperantem ; operatio enim alicuius effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectui in quo mens nostra est mota, & non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur, & secundum hoc dicitur gratia operans : in illo autem effectui, in quo mens nostra & movet & movetur, operatio non solum tribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundum hoc dicitur gratia cooperans. Et infra : Si verò accipiat gratia pro habituali dono, sic est duplex gratia effectus, sicut & cuiuslibet alterius formæ : quarum primus est esse, secundus est operatio ; sicut calor operatio est facere calidum, & exterior calefactio. Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam sanat vel iustificat, sive gratiam Deo facit, dicitur gratia operans : in quantum verò est principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit (ratione habituum supernaturalium qui emanant à gratia habituali, & ad eam pertinent) dicitur cooperans. Quibus verbis aperte docet hanc divisionem posse adaptari gratiæ habituali : nam quatenus illa hominem iustifi-*

cat, seu animam Deo gratiam reddit, potest dici operans ; quia hunc effectum sola ipsa gratia facit, non quidem effectivè, sed formaliter, eo modo quo albedo dicitur facere albam superficiem, ut dicit in resp. ad 1. in quantum verò est in genere causæ efficientis principium & ratio operandi, & dignificandi opera meritoria, quæ à libero arbitrio fiunt, dicitur gratia cooperans seu simul cum homine operans, quia hunc effectum non sola ipsa efficit, sed cum libero arbitrio, quod respectu talis effectus, operis scilicet meritorij, non solum se habet ut motum, sed etiam ut movens & efficiens. Unde infra in proemio quaestione 113. Considerandum est (inquit) de effectibus gratiæ, & primò de iustificatione, quæ est effectus gratiæ operantis, secundò de merito, quod est effectus gratiæ cooperantis.

Magis tamen propriè & magis communiter (ut diximus) hæc divisio tribuitur gratiæ actuali quia de illa loquuntur Concilia & SS. Patres suprà relati : tum etiam quia illa magis propriè dicitur operari, & movere liberum arbitrium. Si autem quæras, quâ ratione talis gratia, operans & cooperans appelletur? Relictis varijs sententijs extraneorum, communi Thomistarum doctrinæ adhaerendo,

Dico tertio, gratiam actualem dici operantem, quatenus applicat intellectum aut voluntatem ad agendum ; cooperantem verò, in quantum cum illis potentij ad agendum applicatis, producit actionem.

Probatur breviter : Gratia dicitur operans respectu illius effectus in quo mens nostra est mota & non movens, solus autem Deus movens ; cooperans verò in ordine ad illum, in quo mens nostra & movet & movetur, ut ait D. Thomas conclusionem præcedenti relatus : Sed respectu illius effectus, qui est applicare voluntatem ad agendum, voluntas est mota & non movens, cum ad illum voluntas merè passivè se habeat, recipiendo divinam motionem, per quam ad agendum applicatur ; respectu verò alterius se habet simul ut movens & mota, cum operationem & consensum voluntatis solus Deus non efficiat, sed etiam ipsa voluntas ; unde Augustinus de gratia, & lib. arbit. cap. 17. *Deus ut velimus, sine nobis operatur : cum autem volumus, nobiscum cooperatur.* Et D. Gregorius suprà relatus : *Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, quod iam appetimus, agat nobiscum.* Ergo gratia actualis rectè dicitur operans, quatenus applicat voluntatem ad agendum ; cooperans verò, in quantum cum voluntate sic applicata, eandem producit actionem & effectum, Ex quo

Inferes primò omnem operationem voluntatis, sive sit libera, sive necessaria, sive antecedens sive consequens iustificationem, esse à gratia operante, non quantum ad substantiam, sed quantum ad applicationem.

Probatur : Illud est à gratia operante, in quo voluntas se habet ut mota tantum : Sed voluntas se habet tantum ut mota in omni opere suo, quantum ad hoc quod est applicari & determinari à Deo, prius naturâ quam operetur : Ergo omnis operatio voluntatis, sive libera, sive necessaria, sive antecedens, sive consequens iustificationem, est à gratia operante, quantum ad applicationem voluntatis. Unde Concilium Arausicanum suprà citatum, ait : *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur operatur.*

Ubi

Ubi particula, *Quoties*, omnem operationem ad salutem hominis conducentem significat.

Interes secundò, contra Cajetanum, & alios, non solum actus qui sunt circa media, sed etiam eos qui versantur circa finem, si sint liberi (cujus modi fuit prima operatio Angeli) à esse gratia cooperante. Ratio est, quia omnis ille actus est à gratia cooperante, in quo voluntas non se habet solum ut mota, sed etiam seipsam movere & determinat: Atqui voluntas seipsam determinat in omni actu libero, & virtualiter saltem se movet, ut in Tractatu de actibus humanis, agendo de intentione finis, fuse declaravimus: Ergo omnis actus liber voluntatis, etiam si sit prima intentio finis, est à gratia cooperante.

Dices primò: D. Thomas hic art. 2. in corp. articuli ait gratiam operantem esse illam, quæ Deus movet voluntatem ad actum interiorem; cooperantem verò, quæ illam movet ad exteriorem: Sed per actum interiorem, nihil aliud intelligere potest S. Doctor, quam actum imperantem, qui est intentio finis; per exteriorem verò, nihil aliud quam actum imperatum, qui est mediator electio, ut plures ex nostris Thomistis interpretantur: Ergo ex D. Thoma sola intentio finis est à gratia operante; sola verò mediatorum electio, vel executio, à gratia cooperante procedit.

Respondeo primò negando Minorem: nam per actum interiorem D. Thomas nihil aliud intellexit, quam ipsam internam applicationem voluntatis, per quam Deus facit nos velle & operari, quæ applicatio ad omnem voluntatis operationem, siue sit libera, siue necessaria, siue antecedens, siue consequens justificationem, requiritur: nam ut ait Augustinus de dono persever. cap. 13. *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur etiam operari per bonam voluntatem &c.* Et D. Bernardus in lib. de gratia & lib. arbit. versus finem, dicit quod gratia voluntatem applicat operari, & opus explicat voluntati. Per actum verò exteriorem intellexit S. Doctor ipsam volitionem & operationem quam voluntas elicit ut mota & applicata à gratia: nam sicut voluntas per actum immanentem effective applicat omnes potentias ad suas operationes, & facit eas operari actus externos: ita etiam Deus per suam gratiam operantem facit voluntatem velle suum actum operari, applicando eam ad volendum & operandum.

Respondeo secundò: Est quod D. Thomas per actum interiorem, primam intentionem finis, & per exteriorem, mediatorum electionem intellexerit, ut aliqui ex nostris Thomistis exponunt; dico tamen, S. Doctorem illòs actus non adduxisse, quasi adæquate & universaliter explicare voluisset in ordine ad quos actus gratia operans & cooperans diceretur, sed tantum ut exemplum proferret in quo res clarius eluceret, cum enim antea præmiserat illam esse gratiam operantem, respectu cuius voluntas se habet ut mota, & Deus ut movens; cooperantem verò illam dici, respectu cuius voluntas non solum movetur à Deo, sed etiam seipsam movet; quia in actu interiori, qui est prima intentio finis, magis apparet quomodo mens nostra sit mota à solo Deo; & in actu exteriori, qui est electio, quomodo sit simul movens & mota, ideo D. Thomas ut explicaret quod universaliter antea docuerat, actum interiorem & exteriorem in exemplum adduxit. Idem dicendum est, si asseratur D. Thomam per

actum internum intellexisse quemcumque actum immanentem voluntatis, & per externum, intellexisse actum elicitum ab alijs potentijs ut alij interpretantur.

Dices secundò: Ille tantum actus est à gratia cooperante, in quo voluntas se movet: Sed voluntas non se movet in prima intentione finis, etiam si sit libera, cuiusmodi fuit prima operatio Angeli: Ergo prima intentio finis etiam si sit libera, non est à gratia cooperante. Minor probatur: Movere se, est ex uno actu procedere ad alium: Sed voluntas in prima intentione finis, etiam si sit libera, non procedit de uno actu ad alium: Ergo non se movet.

Respondeo distinguendo Majorem: in quo voluntas se movet, formaliter, aut virtualiter, concedo Majorem: formaliter solum, nego Majorem. Voluntas autem in prima intentione finis, si sit libera, movet se virtualiter, quia vult se velle & intendere finem; atque ita ex uno actu virtuali, procedit ad alium, ut in Tractatu de actibus humanis explicari solet.

ARTICULUS III.

Tres alie divisiones gratiæ breviter exponuntur.

Primum donum gratiæ quod Deus homini confert, vel in ordine ad ejus sanctificationem, vel in ordine ad aliquod opus pietatis, de quo prius nihil cogitabat, variis solet nominibus insigniri, ab diversa munia quæ exercet, & ob varios quos in nobis operatur effectus. In primis enim dicitur gratia preveniens, quia prævenit omnem nostram deliberationem, & bonum liberi arbitrii usum seu consensum, prædite tempore, vel natura, juxta illud Psalmi 58. *Miserere cordia ejus præveniet me*, & illud 1. Joan. 4. *Ipsa prior dilexit nos. Quare Augustinus sic Deum describit: Deus est, quem nemo diligit, nisi præventus; quem nemo amittit, nisi deceptus; quem nemo possidet nisi beatus.* Et Bernardus de gratia, & lib. arbit. sic ait: *Sane ipsi nos prævenit, nequaquam possumus, qui enim bonum neminem invenit, neminem salvat, quem non prævenit.* Et lib. de diligendo Deo, ipsum alloquens, dicit: *Hoc valde mirum, quod nemo te querere valet, nisi qui prius invenit: vis igitur inveniri ut quæaris, quæris ut inveniaris; potes enim quæris inveniri, sed non præveniri.* Unde homil. 3. super Missus est, hæc verba Angeli ad B. Virginem, Dominus tecum, expendens: *Valde mirandum est (inquit) quomodo quis Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine: nane celerior Angela fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse perveniret ad terras? Nec mirum, ejus nomen accelerat, festina, omnibus mobilibus mobilior est sapientia, velociter currit sermo ejus. Victus ex Archangelo, qui misit te, præcessit te.*

Secundò eadem gratia appellatur excitans, quia peccatorem vel iustum à bono opere cessantem, tanquam sopore quodam depressum, à somno vel peccati, vel negligentia bonorum operum excitat, juxta illud Apocal. 3. *Ecces sto ad ostium, & pulso, & istud ad Ephes. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

Hanc gratiam, seu hunc gratiæ effectum, eleganter describit Augustinus in lib. Confess. ubi Deum alloquens, sic ait: *Vocasti, clamasti, rupisti*

sordiditatem meam: coruscasti, splendisti, succasti
 cecitatem meam: flagrasti & eduxi spiritum, atque
 jam anhelo tibi, gustasti & esurio ac sitio: retingisti
 me, & exarsisti in pacem. Quibus verbis declarat
 tria attributa, tribus Personis Divinis appro-
 priata, maxime relucere in justificatione pecca-
 toris: Potentia enim Patris apparuit in virtute
 & efficacia vocationis eius, his verbis expressas:
 Vocasti, clamasti, rupisti sordiditatem meam: Sapien-
 tia vero Filij in splendoribus, quibus mentem
 ejus illustrat, unde subdit: Coruscasti, splendisti
 &c. Bonitas autem Spiritus Sancti in misericordia suavi-
 tate, quâ ipsum ad se allicit & pertrahit, quam
 verbis sequentibus declarat: flagrasti, & eduxi spi-
 ritum &c.

24. Tertiò gratia dicitur adjuvans, quia nos adju-
 vat ad faciendum id, ad quod excitati sumus à
 Deo: unde nihil frequentius in ore omnium fi-
 delium, nihilque sapientius repetit Ecclesia in suis
 publicis orationibus, quam versiculum illum ex
 Psalmo 69. desumptum: Deus in adiutorium me-
 um intende, Domine ad adjuvandum me festina. Hunc
 versiculum (inquit Cassianus) in opere quolibet,
 seu ministerio, si firmere constitutus, decantare non
 desinas: hunc meditantem tibi spiritus irrepit, donec in-
 cessabili ejus exercitatione formatus, etiam per sopor-
 em cum decantare consueveris: hic tibi ex perfectio
 primus occurrat, iste erigantur cogitationes anticipet
 universas; iste de tuo conjugentem cubili, curationi
 genium tradat, atque deinceps ad omne opus actusque
 deducat.

25. Denique gratia, sufficiens & efficax nuncupa-
 tur: sufficiens, quia tribuit vim sufficientem in
 actu primo ad operandum seu consentiendum;
 efficax verò, quia infallibiliter infert consen-
 sum, & facit non solum ut possimus velle & ope-
 rari, & etiam ut de facto velimus & operemur
 juxta illud Ezechiel 36. Spiritum meum ponam in
 medio vestri, & faciam ut in preceptis meis ambuletis,
 & iudicia mea custodiat & operemini, & illud Au-
 gustini de gratia & libero arbitrio. cap. 6. Certum
 est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus,
 praebeo vires efficacissimas voluntati. Item S. Cy-
 rillus lib. de adorat. ait: Tantam benignitatem
 nobis exhibet universorum Salvator Deus, ut EFFI-
 CACI SUBSIDIO adjuvet, secundum quod scri-
 ptum est: Apprehendisti manum dexteram meam, &
 in consilio tuo deduxisti me. Nam quoniam hominis na-
 tura non valde generosa est, neque satis idonea, ut ma-
 lum effugere queat, simul quodammodo nobiscum cer-
 tat Deus, & duplex concedere beneficium videtur,
 persuadens admonitionibus ut subsidium inveniamus,
 & fortius illud prestans, quam ut malum praesens &
 violentum prevallere possit.

26. Secundum ergo varios illos, quos gratia in
 nobis operatur effectus, multipliciter dividitur
 à Theologis: sed tres praecipue divisiones cele-
 bres sunt. Prima est in gratiam praevenientem &
 subsequentem, de qua agit S. Thomas hic art. 3.
 eamque insinuat Augustinus & Fulgentius: ille
 enim in Enchirid. cap. 32. sic ait: Vtrumque legi-
 tur in sacris eloquiis: & misericordia ejus praeve-
 nit me, & misericordia ejus subsequetur me: no-
 lentem praevenit ut velit, volentem subsequitur ne
 frustravellet. Ille verò lib. 1. ad Monimum cap.
 11. Praevertit Deus donans homini bonam volunta-
 tem; subsequitur benevolentem, operando in illo
 boni operis facultatem. Et rursus: Praevertit im-
 pium ut fiat iustus; subsequitur iustum ne fiat impius;
 praevertit elisum ut surgat; subsequitur elevatum ne
 cadat.

A Hæc divisio, licet magis propriè conveniat
 gratia actuali, adaptatur tamen etiam habitu-
 ali, ut docet S. Thomas articulo citato: cum enim
 gratia habitualis varios habeat effectus, quorum
 alij alios præcedunt, comparatione præcedenti-
 um dicitur praeveniens, respectu verò subse-
 quentium, subsequens appellatur: nam gratia
 justificans primò sanat animam, secundo dat illi
 ut bene velit, tertio ut bene opereatur, quarto ut vi-
 tam æternam consequatur. Quatenus ergo cau-
 sat primum effectum, est praeveniens respectu se-
 cundi; & prout causat secundum, est subse-
 quens respectu primi, & praeveniens respectu
 tertij; & sic de ceteris, usque ad ultimum, quem
 ut causat, solum est subsequens. Quam doctrinam
 de promptu ex Augustino cap. 12. de natu-
 ra & gratia, ubi sic ait: Praevertit ut sanemur, qui
 subsequitur ut vegetemur: praevertit ut vocemur, &
 subsequitur ut glorificemur: praevertit ut pie viva-
 mus, & subsequitur ut semper cum illo vivamus.

B Secunda divisio est in gratiam excitantem &
 adjuvantem, cuius meminit Tridentinum sess. 6.
 cap. 5. ubi ait: Per Dei excitantem atque adjuvan-
 tem gratiam ad justificationem disponimur. Et cap. 6.
 Disponuntur (adulti) ad justitiam, dum excitati di-
 vina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes,
 libere moventur in Deum. Illam etiam insinuant
 SS. Patres: Augustinus enim lib. 1. de peccat.
 merit. ait: Bonam & piam voluntatem, nisi Deo ex-
 citante & adjuvante, habere non possumus. Et Ber-
 nardus lib. de gratia & libero arbitrio. Conatus (in-
 quit) nostri casti sunt, si non adjuventur, & nulli si
 non excitentur.

C Tertia divisio, & omnium celeberrima, est in
 gratiam sufficientem efficacem, quæ desumit-
 ur ex Augustino de corrept. & gratia cap. 11.
 & 12. ubi distinguit duplicem gratiam: unam
 quæ dat posse perseverare, quam asserit Adamo
 & malis Angelis fuisse concessam: si enim (in-
 quit) hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cum
 primum facti sunt, desuisset, quoniam non talis natu-
 ra facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere,
 si vellet, non utique sua culpa cecidissent; adiutorium
 quippe desuisset, sine quo manere non possent: aliam
 quæ dat actu perseverare, quam dicit Adamo
 denegatam, darique nunc sanctis in regnum Dei
 per gratiam Dei prædestinatis: primam appel-
 lat adiutorium sine quo; secundam verò dicit esse
 adiutorium quo.

D Hæc divisio est omnium controversiarum, quæ
 his temporibus agitantur, velut fomes ac semi-
 narium: En scopulus ad quem multa confracta sunt
 naves. En Eurippus rapidus in diversis & contra-
 rias partes, verso mari. En velut monte præcipiti de-
 volutus torrens fervens rixus & contentioibus,
 ut loquitur Mariana lib. 3. de morte & im-
 mort. cap. 8.

E Quidam gratiam sufficientem ita despiciunt,
 ut eam dicant esse monstrum quoddam singulare
 gratia, solummodo peccatis faciendis, majorique
 damnationi accersende deserviens. Alij e contra
 gratia efficaci & victrici adeo infensi sunt, ut ad
 ipsius horreant auditum, & ne ejus quidem no-
 men audire possint: fulminis idu perstrictos cre-
 deres, vel horrendo tonitruu boatu perterritos,
 quoribus blandissima hæc vox gratia victrix, au-
 ribus eorum insonat; libentiusque victæ, quam
 victricis, prostratæ quam erectæ, & debellatæ
 quam triumphantis gratia nomen audirent.

Utique certe gravem divinæ gratia irrogant
 inju-

S. I.

Vera sententia statuitur.

injuriā: quia, ut ait Prosper ad Demetriadem, A
cap. 7. Gratia Dei, nisi tota suscipitur, tota repellitur: sicut enim alienus est à numero fidelium, & forte sanctorum, qui in aliquo à Catholica veritate dissentit, ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de ipsius plenitudine dissentit. Plenitudo porro ista pro presenti humanæ infirmitatis statu, binas includit prerogativas, quarum una in gratiæ sufficientia, altera in ejus energia, seu efficacia consistit. Quisquis proinde live de sufficientia, live de efficacia Christianæ gratiæ aliquid dissentit, extra gratiam penitus esse convincitur: quia, ut ex Prospero jam audivimus, Hæc tota repellitur, nisi tota suscipitur; unde rectè ibidem paulò infra subinfert: Plenè ergo & veraciter confitenda est gratia Dei simulque sufficientia & effi-

cacia ejus prædicanda. B

Utramque semper schola Thomistica constanter docuit & prædicavit, ac indefesso labore ab ortu suo per quatuor sæcula non minus fortiter ac generose pro sufficienti, quam pro efficaci gratia decertavit. Hæc est doctrina, quam sicut in suis amabulis ab uberibus Angelicis Angelicis Doctoris; cum qua adolevit & crevit, & cum qua semper gloriose vixit & vincit, palmaque instar altius inclinata resurget; nec portæ inferi prævalebunt adversus eam.

Plura circa utramque gratiam hic inferenda paraveram, quæ ob reverentiam Apostolicæ Sedis strictissime prohibentis, nè hujusmodi quaestiones & controversiæ typis mandentur, libenter supprimo, donec ea publicandi facultas concedatur. Hæc est tota silentij nostri ratio, & sacrum sigillum.

Sivero (studiosè lector) completum de gratia Tractatum habere velis, lege quæ de Divinorum decretorum efficacia & voluntate Dei antecedente & consequente contra Janfenianos, & Molinistas fusè tractavimus; ex principiis enim ibi statutis facile colligere poteris, quæ hic de gratia sufficienti & efficaci desiderantur.

DISPUTATIO IV.

De Causa gratiæ.

Ad quæst. 12. D. Thomæ.

Declaratis necessitate, naturâ, & speciebus utriusque gratiæ, habitualis scilicet & actualis, sequitur dicendum de causis ejus: præcipua autem difficultas est de causâ efficiente, & dispositiva gratiæ habitualis, quæ est primum analogatum sub hoc nomine gratia, unde de histantium causis hic agemus.

ARTICULUS I.

Utrum solus Deus possit esse causa principalis gratiæ habitualis?

Partem negativam tenent Medina 3. parte quæst. 13. dubio ultimo, & Cabrera ibidem disp. 2. ubi docent humanitatem Christi, seu Christum inquantum hominem, esse causam principalem gratiæ sanctificantis in omnibus justis, secundariam tamen, & Deo subordinatam. Sed pro contrariâ, & ab omnibus ferè receptâ sententiâ defensione, sit

Dico igitur, nullam creaturam, quantumcunque perfectam, nequidem Christum inquantum hominem, posse esse causam principalem gratiæ sanctificantis. Ita D. Thomas hic art. 1. in corp. & in resp. ad 1. ubi ait: Humanitas Christi est sicut quoddam organum Divinitatis ejus... & ideo non causat gratiam propria virtute, sed ut instrumentum virtutis Divinitatis adjunctæ.

Probatur primò conclusio: Scripturæ & SS. Patres attribuunt Deo ut ipsi proprium, justificare homines, & à peccato mundare: Sed homines justificantur, & à peccato mundantur per gratiam sanctificantem: Ergo productio gratiæ soli Deo ut causâ principali tribui potest. Minor patet: Major verò probatur ex illo Job. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Et ex illo Isaïæ 43. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates. Item ex illo ad Roman. 8. Vem est qui justificat, qui est qui condemnet? Quibus verbis aperte declaratur, nullam creaturam posse principaliter mundare aut justificare hominem, sed id esse Deo proprium & singulare. Quare Augustinus lib. de peccat. meritis cap. 14. ait: Si quis dicere potest, ego justifico te, etiam dicere potest exde in me. Unde concludit, quòd sicut non est credendum nisi in solum Deum, ita nullam creaturam, sed solum Deum justificare posse.

Neque v. Met. si dicas, illa testimonia intelligenda esse de causâ principali quæ sit primum, ac proinde independens à superioris concursu; non tamen de principali secundaria. Non valet, inquam, cum enim proprium sit Dei esse causam primam & independentem ab alia superiori, non tantum respectu divini gratiæ, sed etiam per ordinem ad quemcunque effectum, nihil locis citatis assereret Scriptura, quòd esset speciale productioni ipsius gratiæ.

Probatur secundo: Qui principaliter causat gratiam, dat etiam ut causâ principalis Spiritum sanctum: Sed nulla creatura, neque etiam Christus inquantum homo habet potestatem physicam & principalem ad dandum Spiritum S. Ergo neque ad infundendam gratiam. Major patet, nam in ipsa collatione gratiæ & charitatis datur Spiritus S. juxta illud ad Roman. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Minor verò suadetur primò ex D. Thomæ 3. p. qu. 8. art. 1. ad 1. ubi sic ait: Dare gratiam, aut Spiritum S. convenit Christo secundum quòd Deus autoritativè, sed instrumentali ter convenit etiam ei, secundum quòd est homo, inquantum scilicet ejus humanitas instrumentum fuit Divinitatis ejus. Quam doctrinam hausit ex Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 12. ubi distinguit plura, quæ Christo conveniunt quatenus Deus est, & quatenus homo: inter alia verò docet Christum secundum formam Dei Joan. 16. Apostolis de Spiritu S. ad illos post suam ascensionem mittendo, dixisse: Si autem abiero, mittam illum ad vos, secundum formam verò servi, quatenus scilicet erat filius hominis, dixisse Joan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis: quo significat se ut hominem non posse principaliter ex sua autoritate dare Apostolis Spiritum S. sed quatenus est homo, debere ipsum precibus à Deo obtinere.

P 3

Confr-